

B. h. II, 57.

h 8, 17.

446, 17

(X 1883899)



Quid expediat
IMPERIO?


*Daturus auspicio sui Ordinis
differet*

**CONRADUS SAMUEL
SCHURZFLEISCH,**

RESPONDENTE

JOAN. BERINGIO,
GRYPSWALD. POMERANO.

d. VIII. Novembr. M DC LXXI.



WITTENBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

95 6







I.

Væ hominum, eadem imperiorum sunt vices. Hic florent, illic senescunt, alibi extingvuntur.

II.

Romanum illud Vetus ante oculos est. Crevit in Augusto, stetit in Trajano, cessavit in Augustulo.

III.

Ita omnia eunt in orbem. Nascuntur Imperatores, & pereunt: Oriuntur imperia & desinunt. Omnium hæc lex est, non durare semper, non manere vestigio eodem.

IV.

Duplex inter incerta illa solatium,
tium,

tium, uti prudentia & niti virtute.
Illa providemus futura, hac præsen-
tia sustinemus, facere & pati fortia
parati.

V.

Sed mittam vetera : proximo-
rum meminisse volo, præsentia cum
præteritis subinde comparabo.

VI.

Ad vos loquor, mei GERMA-
NI, tot Cæsarum Regumque san-
guis, majorum vestrorum similes po-
steri. Edite antiquæ fortitudinis
curarumque exempla, memoranda
nobis, æstimanda post nos venturis.
Reputate animis temporum fortu-
nam, considerate, quæ instant, inite-
pacis servandæ rationes, id est, CO-
LITE PACEM ARMATAM.

VII.

VII.

Octavum abiit seculum, ex quo
supremum decus in orbe terrarum
complexi estis: (*) Cæsares, Impe-
ratores accepistis, habuistis, elegi-
stis: exteris majestatem, barbaris ter-
rorum ostendistis. Servate hanc
laudem, servate caput & summam
rerum.

IIIX.

Oriuntur sæpe dissidia, & sopita
interdum suscitantur. Sed horum
apud vos remedium erit, si jure ex-
perimini, non armis.

IX.

Si arma sumenda sunt, vertite in
hostes, parcite civibus, parcite visce-

A 3 ribus

(*) Impotens hic & imprudens Aube-
rius Gallus est, historiam ignorat, civiles ra-
tiones aut non capit, aut turbat.

ribus vestris. Cuncti iuvate singulos, singuli adeste universis. Hic Sacri Imperii contextus, hoc patriæ munimentum, hoc fidei amicitiaeq; vestrae vinculum erit.

X.

Belli cogitatio subeat ante bellum, non ut laceffamus domi, sed ut defendamus foris, sed ut laceffentes arceamus. Si quid olim discessimus exemplo, necessitate excusatur. Luimus, eluimus. Salva nihilominus Imperii majestas est, & salva erit in posterum.

XI.

Nautas imitabimur, qui non quærunt, sed habent anchoram, quam jacciant fluctuanti falo. Sero flagitant, qui quod flagitant, habere in numerato debent.

XII.

XII.

Principes juventutis fingantur ad eas artes, quibus Principum securitas continetur. Perdidit Assyrios otium, perdidit gynecæum Persas. Nostri hæc spernent, quia Germani; contra palæstra utentur & ludo Martio ante Martem.

XIII.

Erunt in exemplum Marii, erunt Camilli, utriqve bellatores, utriqve vindices suæ gentis.

XIV.

Vigilat **AUGUSTUS** noster propter hanc causam, & facienda docet exemplo. Ordinatur denuo Teutonici Ordinis rationes, curatq; diligenter, ut habeat ibi officinam
belli

belli, & si quid oriatur ex improvise,
remedium sit in promptu.

XV.

Rependet Tibi gratiam posteri-
tas, **LEOPOLDE**: exteri mira-
buntur prudentiam, nos prædicabi-
mus salutare consilium.

XVI.

Adeste in ordinem allecti Eqvi-
tes, memores pristinae virtutis, **VI-
RI** tanto negotio pares, & finium
futuri defensores. Spondete **AU-
GUSTO** pro securitate Imperii,
servate egregium decus, cujus repe-
tita vice excitastis expectationem:
Sanguinem, fortunas, sive ad defen-
sionem impendite, sive ad justam
ultionem.

XVII.

XVII.

Suppeditat materia crescendi,
præluceat auspiciū Piissimi Impe-
ratoris. Observate illud, & colite
iussa: Cætera aut virtus, aut fortu-
na expediet.

XVIII.

Nempe ut initia erunt, ita fortie-
mur exitum. Prima cura sit, para-
re Sacro Imperio exercitum, para-
re securitatem universis. Deinde
munire Imperii fines, & castella,
quæ limitem spectant, annonam &
milite firmare: postremo copiis in
aciem educendis unum præponere
cum Imperio summo, id est, vita-
re Ducum æmulationes, & simul
vitare seculi astum.

B

XIX.

XIX.

Facto opus est, cum verba non expediunt. Tu, mea Germania, gratam habe pietatem, & quod ad omnium salutem pertinet, consultis opus, inceptis exemplum conjunge. Ita & Tu Cæsari, & Cæsar Tibi officium solvet.

XX.

Sed amplius dicam, & fidam in eo operam navabo. Interest Vestra, Principes, florere instituta conventuum, in quos quisque descripti estis. Præivimus dudum, Saxones: reliqui instate exemplo, & nobis fructum pacis, vobis Sanctissimum nomen, posteris sequendi officium præstare.

XIX

B

XXI

XXI.

Cuncta exequi, arduum, & providos cohortari, supervacuum est. Unum adjicio, prosperum omen Germaniæ inferiori. Instaurat commune districtus sui Consilium, præfectos instituit, adjuutores, Consiliarios attribuit, stipendia numerat ex fisco, spem denique suis, animum sociis, metum hostibus, Imperio gloriam addit.

XXII.

Habent exteri suos Ulysses, & jactant. Nos gloriabimur habere Catones, habere Scipiones, judicio, prudentia maximos, robore animis vigentes. Apud hos cunctatio sapientiæ condimentum est, apud alios materia reprehensionis. Pri-

B 2

usqvam

usquam agant, deliberant cum mora : Si agere coeperunt, frustra sit, qui speret posse avocari. Quicquid fortuna dederit, ferunt, prosperas adversasque res juxta habent.

XXIII.

Accipite æqvis auribus, Principes, piè loquor & sentio : multi pro meritis odium reponunt, lenta Comitiam ingeminantes. Sed hi non capiunt ardua vestrarum curarum.

XXIV.

Tuos manes appello, Dive Ferdinande II. Refrica nobis memoriam superiorum rerum, & dicito sententiam pro Comitiam prorogandis.

dis. (*) Fert ita necessitas, & fe-
ret, credo, eousq̄ve, donec adole-
scat lex securitatis.

XXV.

Admove hoc curis tuis, invi-
ctissime LEOPOLDE, & cogi-
ta de præteritis, ut futura emendes.
Serva Germaniam pacis alumnam,
& siquid lubricum emergat, firma
sine acerbitate. Gentile tuæ Gen-
tis bonum mansuetudo est, quæ aut
refers DEUM, aut imitaris.

XXVI.

Seqvitur vitam fortuna, & ut
laboris impendium est, ita præmia

B 3

col-

(*) *Aliter sentit & ominentur l. E. in
quart. vice resumpt. ominos. rerum ser.*

colliguntur. Uſu tuo id verum
probas, ô noſter amor, ô maxime
LEOPOLDE. Nunquam tibi
conſilium, nunquam bonorum
officium defuit. Horret Aquilas
tuas inſenſus ab Oriente hoſtis, fre-
mit quoque ab adverſo Iſtro Ach-
metes, cum tot acceptarum à te
cladium venit in mentem. Nem-
pe vires & robur aderamus Ger-
mani, aderant nobiſcum vetuſto
nomine amici, & utinam nunquam
futuri hoſtes, Galli.

XXVII.

Quæ foris, eadem domi felicitas
apparuit. Erant, quos ſcelus age-
ret ad Ungariæ res turbandas: e-
rant occultæ factiones, dilatæ in
exitii tui occaſionem. Vidifti,
Cæſar, inſidias, vicifti in caput ma-
chi-

chinatores, stetit sub tutela DEI
immortalis.

XXVIII.

Permitte mihi, Auguste, confidentius loqui. Respicit te, quod dicam, exigitque tuam curam, & virtutem Augusto fastigio nixam. Hortare ad concordiam finitimos, regno, quod ad occidentem recedit, persuade moderationem. Si Mosae turbet, aut Rhenus, seu oppones auctoritatem, seu, quod praesoptamus, interpones. Erit ita agendi auspiciis felix, erit nomen venerabile amicis, erit terribile adversantibus majestati, majestas denique sustinebitur aeternitate rerum.

XXIX.

Sed salve tandem, & iterum
salve, Augustissime Caesar, salve
Prin-

91
Tn
1369

Principum excelsissime, Patriæ
munimentum, Germaniæ spes,
posteris æternum decus. Sum-
mus tibi rerum mortalium con-
cessus gradus est, statuendi arbi-
trium cum Principibus divisum.
Tene hunc clavum, quem ade-
ptus es, prudentia & magnanimi-
tate. Junget tibi dextram, SA-
XO noster, Comes idem soci-
usq̄ve aderit, cæteri applaudent,
nos supplicabimus pro averten-
da orbitate. Sit felicis uteri Au-
gusta, sit nunquam sine posteris
Austria domus, præsentia flu-
ant ex voto, futura ordi-
net DEUS.

Wm

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta		Dark Gray	Black



bi
cu
ti
sc
ri
un
no

